

Querimoniam fratrum Casinensium super ecclesia de Cingla saepius audientes, monasterii sanctae M. abbatissam iterum atque iterum nostris litteris commonuimus et multos ei terminos constituimus, ut ad nostram praesentiam vel per semet ipsam responsura veniret vel sufficientes ad negotii tractationem pro se muntios destinaret. Ceterum ipsa neque unum neque alterum usque adhuc facere voluit. Nos quia personam tuam praecipuae dilectionis affectione complectimur, et ne Casinensium fratrum amore beatae M. gravare monasterium videremur, ei(us)dem abbatissae contemptum diu et diu jam toleravimus. Porro consilium fratrum nostrorum non est, ut hujusmodi occasionibus Casinense monasterium rebus possessis maneat diutius spoliatum. Propterea nos ex ipsorum iudicio tuae nobilitati mandamus atque praecipimus, ut infra XX^{ti} dies postquam litteras praesentes acceperis, Casinenses fratres de Cinglensi ecclesia facias salva monasterii beatae M. justitia integre revestiri neque interim ei(us)dem ecclesiae bona diripi a quibilibet vel auferri permittas. Quodsi et tu quoque mandati nostri contemptor extiteris qui spoliationis hujus causa et principium extitisti, nos ecclesiasticae vigorem justitiae pro te dimittere non valentes in personam et in totam terram tuam excommunicationis sententiam auxiliante Domino proferemus.

4.

(C)alixtus episcopus servus servorum Dei, comiti R. nobili et potenti viro. Quia beati Petri et noster fidelis es, nos vera te dilectione dileximus, et inter alios strenuos et illustres viros persona(m) tua(m) praecipuae affectionis brachiis amplexati sumus. Id ipsum et deinceps, nisi in te remaneat, facere praeoptamus. Propter quod usque adhuc agere nichil voluimus, in quo gravari a sede apostolica videreris. Ceterum dilectus filius noster G. Casinensis abbas et fratres ejus, pro quibus tibi nuper litteras misimus, super Cinglensis ecclesiae querimonia nostras aures instanter pulsare non desinunt. Nos itaque tot clamorum multitudinem ferre omnimodis non valentes, per praesentes litteras iterum tibi praecipiendo mandamus, ut omni penitus occasione vel dilatione postposita eundem abbatem et fratres ejus de Cinglensi ecclesia sanctae M. ac possessionibus ejus facias revestiri. Quod nisi feceris, nos et nunc divina officia et omnium tibi ecclesiarum introitum interdicimus et a termino in aliis ad te a nobis missis litteris constituto, completis scilicet viginti diebus illis quos scripsimus, personam tuam excommunicamus donec praedictum filium nostrum Casinensem abbatem et fratres ejus de eadem ecclesia Cinglensi et bonis illius facias integre ac plenarie, prout a nobis mandatum est, revestiri.